

VIRIS CELEBERRIMIS,
PETRO PETITO

E T

MATTH. SLADO

ILLI GALLORUM, HUIC
BATAVORUM MEDICORUM
PRINCIPIBUS,

THEOD. JANS. AB ALMELOVEEN

S. D.



Antiquioris Medicinae parentes nobilissimos licet, atque ob eleganter fidelissimeque tradita praecepta summo opere necessarios, à plurimis nostri seculi hominibus non modo negligi & contemni, verum etiam acerrimis profcindi disteriis, usque adeo percrebuit, Viri Praestantissimi, ut hospes in literis, in Arte quoque nostra plane peregrinus sit oporteat, qui tam nota atque vulgaria se nescire fateatur. Nec tantum illi, verum etiam (en quo tandem pigrities desidiaque homines perduxit?) illorum cultores vel maximo odio, imo ludibrio habentur. Quod cum animadvertissem, quorum nominibus scriptorem hunc, quem ob innumera translata loca, non immerito quidam Latinum appellare solent Hippocratem, de novo nostra
cura

D E D I C A T I O .

cura prodeuntem, inscribi gratum esset, non ita diu quaerere debui, siquidem non alios nisi Vos, Viri eruditionis fama multisque ac magnis in universam literarum rempublicam meritis celeberrimi, operis hujus patronos certissimos antiquissimosque potui eligere, quos ne Celsus ipse quidem, si in vitam ei daretur reditus, scriptorum suorum censores recusaret. Nunc itaque nihil mihi restat, quam ut obnixè Vos rogem, ut me in amicitiam Vestram recipere, hancque inscriptionem, tanquam benevolentiae observantiaeque erga Vos meae quaecumque documentum admittere dignemini Valetè. Dabam Trajecti ad Rhenum a. d. Kal. xv. Febr. c13 13 cxxcvii.

THEOD.